



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola II. Stephani Papae V. Ad Episcopos Orientales. Iphis pro ordinatione Stephani patriarchae Constantinopolitani dispensationem petentibus, eo quod a Photio diaconus ordinatus fuisset, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

corpus ecclesiæ diuidatur, sed omnes vnanimis, tamquam vnum caput habentes Christum Deum & Saluatorem omnium nostrum, omnes communiter illi laudes offeramus, & eius præcepta similiter prædicemus: neque propter vnum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Nos enim, vt diximus, imperatorum Christo dilectorum nutu Constantinopolim venientes; dum multi nos ad communionem impellunt, & iuramento affirmant se ab apostolica sede dispensationis indultum obtinuisse, vt absque impedimento sacerdotalem dignitatem exercitare possent, nullo tamen pacto illis fidem adhibuimus, a tua sanctitate expectantes aliquid firmi & certi. Hoc autem ausim affirmare, o venerandum caput, Deum adhibens testem, quod nullus eorum, qui cum Photio communicarunt, propria id fecerit voluntate, sed potius principum violentia. Quapropter tuam rogamus beatitudinem, vt populum, parum abest, desperatum misericorditer suscipias. Rogat te Petrus, cuius sedem administrandam obtines, qui ab omnium Domino edoctus fuit, vt septuagies septies ignosceret, etiam iis qui scienter deliquerint. Exaudi nos, vt etiam tu a Deo benignitatem desuper obtineas, & longo tempore ecclesiam apostolicam regere valeas precibus sanctissimæ Dei genitricis, cælestium potestatum, apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum, & omnium sanctorum. Amen.

Matth. 18.

EPISTOLA II.

STEPHANI PAPÆ V.

AD EPISCOPOS ORIENTALES.

Ipsis pro ordinatione Stephani patriarchæ Constantinopolitani dispensationem petentibus, eo quod a Photio diaconus ordinatus fuisset, respondet, & vltiorem informationem petit.

*Stephanus episcopus seruus seruorum Dei vniuersis episcopis
& reliquis clericis, &c.*

Extat supra
in fine
Concil.
Constanti-
nop. IV.
tom. 23.

CATHOLICA Christi & Dei nostri ecclesia fundata super firmam petram, apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus & fluctibus agitur, nihilo minus confirmatur & augetur. Nec mirum si huma-

ni generis hostis membra ecclesiæ tentare aggreditur, qui caput ipsum Dominum nostrum Iesum Christum tentare non dubitauit. Nec igitur mirum si Photium fati exosum ab ecclesia damnatum eiecistis, qui salutiferam Domini crucem ita delusit, per quam videlicet venerandam crucem omnia dona sacerdotalis ministerii perficiuntur, & sancti baptismatis lauacrum sanctificatur. Prædictus itaque Photius laicus homo, si regiam viam ambulasset, & decretis sanctorum patrum inhæsisset, ad tantam insaniam nunquam deuenisset. Quapropter qui Christi humilitatem, venerandam scilicet crucem contemnunt, percussi sunt tamquam primogenita Ægypti: tunc enim Israelita-^{Exod. 12.} rum primogeniti cum essent signati, seruati sunt ac custoditi. Quid vero erat ille sanguis agni in limine Israelitarum, nisi crux passionis Christi, quæ in frontibus fidelium imprimitur? Quicumque igitur salutarem crucem paruipendit, euangelico ense interimitur. Sed de Photio quidem ita vos scripsistis: illas vero imperatoris literas cum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant, Quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versamur. Multum enim interest, abrenuntiasse, & expulsus esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecûmque iudicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogauimus: & opus est, vtriusque partis religiosissimos episcopos mitti, vt pensata omni dubitatione, & veritate vtrimque manifestata, dicere possimus quod Deus voluerit. Romana enim ecclesia instar speculi & exemplaris reliquis ecclesiis constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum, & hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.

FRAGMENTVM * EPISTOLÆ
STEPHANI PAPÆ V.
AD FVLCONEM RHEMENSEM
ARCHIEPISCOPVM.

Pro Teutboldo Lingonensi episcopo.

Nos autem, qui omnium ecclesiarum in beato Petro apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter